DISPUTATIO
DE
CALIDO INNATO,

QUAM

Ex Decreto Amplissimi

COLLEGII MEDICI

CELEBERRIMÆ ARGENTORATENSIUM ACADEMIÆ

PRO

Impetrandis in arte Medica honoribus & privilegiis Doctoralibus proponit, divinaq; adjutus aßistentia publicè & solenniter defendere conabitur

JOANNES ALBERTUS SEBIZIUS
ARGENTORATENSIS.

Habebitur d. Martij horis matutinis.



ARGENTORATI.
Typis JOHANNIS REPPII.

ANNO M. DC. XL.

THESIS I.



VErissimum est illud πολυθρύλλητον, δύσκολα τὰ καλά, difficilia quæ præclara & pulchra.

2. Fidem faciunt tùm alia multa, quæ in Medicina & Philosophia traduntur: tùm vel inprimis ea Medicæ Physiologiæ pars, quæ de *Calido Innato* differit.

3. Causa difficultatis videtur esse duplex: una rei ipsius obscuritas: altera Authorum, qui de illo aliquid literarum monumentis consignârunt, dissensus.

4. Non tamen ob causas hasce doctrina ista negligenda: sed potiùs quò obscurior difficiliorque illa est, eò majori studio & diligentia in veritatis inquisitionem incumbendum.

5. Disputaturus ergò de Calido innato, duas meæ dissertationis partes faciam: quarum prior ὀνοματολογίαν continebit: in qua de varia & multiplici innati calidi significatione agam, & quæ mei sit instituti, quibusque nominibus insignita, in apertum proferam: posterior πραγματολογίαν proponet: in qua primùm de FORMA, hoc est de Natura, quidditate & essentia calidi nativi verba faciam, & cujus illud tùm temperamenti, tùm qualitatis ac conditionis sit, declarabo. Deinde de MATERIA EX QVA loquar, & qua ex materia sit generatum, ostendam. Tertiò MATERIAM IN QUA, hoc est ipsum subjectum, cui πρώτως, & cui δευτέρως inhæreat,

 aggre-

aggrediar: simul etiam qua in ætate maximè vigeat, quaq; languęat admodùm, edisseram. Quartò ad MATERIAM CIRCA QUAM, id est ad pabulum illius, quo fovetur & sustentatur, accedam. Quintò CAUSAM EFFICIENTEM, hoc est, illas causas, quæ innatum calidum vel mutant, vel prorsus interimunt, attingam. Sextò paucula quædam de CAUSA FINALI dicam, & quæ utilitas, quæque necessitas innati calidi sit, breviter declarabo: ubi occasio erit dispiciendi, quænam vires atque effectus, sive operationes & actiones illius existant?

6. Antequam quot modis innatum calidum accipiatur exponam, quot modis τὸ θερμὸν dicatur, significabo.

7. *Galen. Comment. 1. aphor. 14.* scribit, Calidi nomine primùm indigitari nudam simplicemque qualitatem patibilem, cujus proprium nomen est θερμότης, caliditas. Sumitur ergò hac ratione in abstracto. Deinde accipi non pro qualitate nuda, sed pro corpore, quod calidum est. De hoc enim τὸ θερμὸν παρωνύμως prædicatur. Atque hanc significationem ait non solùm in omni vita frequentissimam esse, sed etiam usitatissimam olim fuisse apud priscos: idque authoritate *Theophrasti ex lib. de cal. & frigido* confirmat.

8. Hanc distinctionem tradit etiam *lib. 1. de elem. cap. 6.* ubi & in abstracto, & in concreto calidum dici asserit.

9. Quid autem per calidum innatum inaudiendum sit, non priscis solùm temporibus controversum fuit, sed etiam nostra ætate inter artis proceres haud satis constat.

10. *Galenus lib. adversus Lycum cap. 7.* per calidum innatum intelligit duo principia nostræ generationis, semen & sanguinem maternum.

11. *Idem rursus lib. 5. simpl. c. 5.* per illud innuit spiritum nobis insitum. Subdit insuper, nil prohibere, quò minus per τὸ ἔμφυτον θερμὸν sanguineam substantiam simulq; aëream

(in

(in margine habetur ſeminalis) unà cum ſpiritu inaudiamus.

12. *Commento 1. aphor. 14* ſcribit, innatum calidum inſitam ſimul & influentem eſſe ſubſtantiam.

13. *Commento 1. aphor. 15. & Comm. 5. aphor. 22.* & alibi aliquoties innatum calidum pro Natura noſtra accipit: qua in ſententia etiam *Fernelius eſt lib. 4. φυσιολ. c. 7.* Si propriè, inquit, agendum eſt, dicendum, Naturam eſſe calidum innatum.

14. *Valleriola l. 1. locor. comm. c. 15.* in fine ait, nativi calidi ſubſtantiam intelligi à ſe trifariam: vel primam illam atque puriſſimam ſolidarum partium ſubſtantiam, ex ſemine procreatam, quæ vera eſt ac propria innati caloris ratio: vel eandem ipſam alimonia auctam, ſed factam degenerem, minusq; puram ſubſtantiam, alimentorum ope atque præſidio genitam: vel humidum omne corpus calore & ſpiritu perfuſum.

15. Hæc namque tria promiſcuè innatum calidum appellari aſſeverat: ſed propriè ac verè ſolidorum ſubſtantiam, in humido radicali ac primigenio ſitam atque conſtabilitam.

16. Alii aſſeverant, innatum calidum temperamentũ corporis eſſe, *teſte Salvo Selano comm. 1. in μικροτέχν. fol. mihi 90.* Idque hoc modo planum faciunt. Quod eſt Natura, eſt temperamentum: quia *Galen. lib. 3. de temperam. cap. 4.* ſcribit, Naturam eſſe ſubſtantiam & temperiem, quæ ex 4. elementis conflatur. At calidum innatum eſt Natura: ut ſcriptum reliquit *Gal. comm. 1. aphor. 15. & lib. de tremor. c. 6.* E. Calidum innatum eſt temperamentum.

17. Sunt, quibus perſuaſum eſt, calidum innatum facultatem eſſe corpus noſtrum gubernantem.

18. *Dn. Crato lib. Epiſtol. Medic. à Scholtzio editarum*

Epistol. 115 ſtatuit, innatum calidum vim quandam eſſe conſervatricem, nutriendi ſcil. augendi, & generandi. Qua quidem ratione calidum innatum pro Anima ipſa uſurpatur. Quæ quondam etiam *Stoicorum* fuit opinio: qui calidum innatum putabant ſpiritum eſſe: & ſpiritum Animam; *teſte Galen. lib. 5. ſimpl. cap. 5.* Erat & quorundam aliorum *Philoſophorum* ſententia: quoniam credebant, calorem, quem ignem vocabant, Animam eſſe, principemque cauſam operationum corporis animati, ſic referente *Ariſtotele lib. 2. de An. cap. 4. t. 40.* Imò ipſius quoque *Galeni* placitum fuit. Nam *lib. de tremore &c. cap 6.* ingenuè fatetur, Animam & Naturam nil aliud eſſe, quàm calorem inſitum, & primogenitum.

19. Ex his liquet, innatum calidum à diverſis Authoribus diverſimodè uſurpari: nimirùm, pro primordiis noſtræ generationis, pro ſpiritu, pro natura, pro temperamento, pro Facultate corpus noſtrum regente, pro ſolidarum partium ſubſtantia, pro quovis humido corpore calore & ſpiritu perfuſo, pro anima ipſa. *Horatius Augenius lib. 1. de Febrib. c. 9.* Temperamentū corporis, Naturam, & Calidum innatum pro uno eodemque habet.

20. Verùm nulla harum ſignificationum mei jam eſt inſtituti: quoniam propriæ non videntur. Nam vel effectus pro cauſa: vel cauſa pro effectu: vel ſubjectum pro adjuncto: vel inſtrumentum pro agente principali: vel pars pro toto ſumitur. Ea eſt hujus loci, qua pro corpore ex humore atq; ſpiritu conflato, & undiquaq; calore perfuſo, accipitur.

21. Calidum iſtud, quod à qualitate, quæ in eo eſt efficaciſſima, ſecundum *Galenum l. adv. Lycum c. 7.* nomen accepit, variis eſt nominibus inſignitum. Dicitur enim ἔμφυτον, σύμφυτον καὶ ζωτικὸν θερμὸν, inſitum, connatum, & vitale. Ἀρχέγονον item, & πρωτόγονον, primogenitum, ſive primogenium, humi-

humidum radicale, balsamum naturale, sulphur vitale, mumia vitalis, calidum cœleste, calidum elemento stellarum ἀνάλογον, spiritus insitus, calidum fixum, firmatum, complantatum & complexionale.

22. Ἔμφυτον, σύμφυτον, ἀρχήγονον, ἢ πρωτόγονον, ad differentiam caloris influentis & adventitii: quoniam à nativitate & primordiis nostræ generationis nobis est implantatum, & prius tempore cæteris corporis humoribus. *Clarissimus tamen Schegkius l. de Cal. & Humid. innat.* subtiliùs inter ἔμφυτον, καὶ σύμφυτον θερμὸν distinguit: & ἔμφυτον solis inesse animatis statuit: σύμφυτον verò & in his, & in omnibus etiam mixtis homogeneis, sive inanimatis reperiri asseverat. Ἔμφυτον perire vult animali defuncto: σύμφυτον etiam in cadavere aliquandiu permanere: tandem tamen à calore ambientis evocari, & cadaver putrescere dicit.

23. *Humidum radicale:* quia caloris totiusque vitæ radix est & fundamentum.

24. *Balsamum naturale:* vel quia substantia est balsami instar pretiosa: vel quia bal[illegible]mi in modum efficax. Quæ enim anima agit, auxilio calidi istius agit. Vel quia humor est, ut balsamum, aërea humiditate præditus. Vel quia balsami instar corpus à putredine præservat.

25. *Sulphur vitale:* quia ut sulphur pingue est & aëreum. Sulphur enim axungia terræ nuncupari solet.

26. *Mumia vitalis:* eandem ob causam. Succus quippe est ad continuandam vitam, vitæque actiones exercendas summè necessarius: & is quidem balsamicus, pinguis scil. & aëreus, uti dictum.

27. *Calidum cæleste*, stellarumque elemento ἀνάλογον: quoniam multi, inter quos *Fernelius, Valleriola, Andernacus, Crato, & alij*, calidum istud cœlestis & æthereæ naturæ esse credebant: de qua tamen re quid sentiam, infrà dicam.

28. *Spiri-*

28. *Spiritus insitus*: quoniam non aliunde nobis jam genitis est inditum: sed in prima formatione ex principiis nostræ generationis impressum. Quo nomine etiam complantatum appellatur. Fixum insuper, firmum, & constans: quoniam licet ætatis decursu minuatur: perseverare tamen ad extremum usque senium solet. Semper enim similares partes aliquid illius in omnem vitam reservant.

28. *Sal vitæ*: non ratione substantiæ, aut qualitatis: sed ratione virtutis & efficaciæ. Ut enim juxta *Plinium* Sole & sale nihil est utilius: sic in corpore nil proficuum magis calido innato.

30. Hæc de ὀνομαλολογία. Sequitur πραγμαλολογία, & primùm definitio calidi innati, quæ naturam & essentiam ejus declarat.

31. *Id autem Fernelius lib.4.* φυσιολ.*cap.6.& cum eo Andernacus comm.2.vet.& nov.Med.dial.6.* aliique complures definiunt, quòd sit humidum primigenium insito spiritu & calore persusum.

32. Rectius forsan definitur corpus humidum atque aëreum, quod ex humido primogenito spirituque calore perfusis est conflatum, & à prima nativitate ex principiis nostræ generationis implantatum, ut anima illius ope atq; auxilio suas exercere operationes in partibus valeat.

33. Ex hac definitione liquet *primùm*, calidum innatum simplex corpus non esse, sed omninò mixtum: quod ex gemina substantia, humida & spirituosa, est compositum. Distinguimus enim inter calorem nativum, & calidum innatum: & per illum nudam qualitatem, formamque accidentalem, ipsam scil. caliditatem intelligimus: per hoc substantiam corpoream, quæ subjectum est, cui calor ille inhæret.

34. Patet *deinde*, humidam illam substantiam esse

primo-

primogeniam: non elementarem illam, qua veluti glutine, sive vinculo, terrenæ corporum partes junctæ cohærent: neque alimentariam, qua partes nutriuntur. Triplici enim hoc humoris genere quælibet particula est donata.

35. Elementare namque humidum omnibus inest corporibus mistis, & consequenter etiam inanimatis: quoniam terrenas partes quasi conglutinat. At calidum nativum solis animatis concessum est corporibus: quoniam ejus ministerio functiones obeuntur.

36. Deindè, elementare humidum aqueum est, calori planè inimicum. Nostrum verò humidum, quod ἀρχιγόνον καὶ πρωτόγονον, pingue est, oleosum & aëreum, adeóque gratum caloris pabulum.

37. Tertiò, elementare, seu aqueum humidum, etiam in defunctis aliquandiu perseverat. Humidum verò primogenium maximam partem in iis, qui naturali morte interierunt, est consumptum.

38. Alimentarium verò humidum triplex *ab Hippocr. l. περὶ τροφῆς* statuitur: μέλλον τροφὴ, futurum alimentum: οἷον τροφὴ, quasi alimentum: καὶ ἐνεργείᾳ τροφὴ, quod actu alimentum est.

39. Futurum alimentum potestate alimentum est: & in potestate vel remota, vel propinqua, vel proxima.

40. In remota potestate alimentum est sanguis, qui non solùm in vasis majoribus, sed etiam in capillaribus singularium partium venis & arteriis continetur, & jam quodammodò naturam & qualitates alendarum partium redolet.

41. In potestate propinqua alimenti nomine gaudet is humor, quem artis proceres Rorem nuncupant: quod roris in modum per nutriendarum partium substantiam sit diffusus.

42. In proxima potestate alere dicitur humor quem

Gluten vocant: tùm quod glutinis instar crassus sit, & viscosus: tùm quod partibus alendis jam agglutinetur, iisque firmiter adhæreat.

43. Actu verò alimentum nominatur ille humor, quem veteres Cambium, ab antiquo verbo cambire appellant; quod permutare significat. Jam enim in partium substantiam est conversus, eiq; planè assimilatus, ut actu reparet, quod est à calore consumptum.

44. Nullus verò istorum humorum nomen illius, in quo calidi nativi ratio posita est, meretur: quoniam sunt ὑστερογενεῖς, & nobis jam formatis atque etiam in lucem editis ex assumpto cibo generantur. At humidum innati calidi πρωτόγονον est, non ex cibis à nobis ingestis, variisque modis & rationibus alteratis, sed ex principiis nostræ generationis, semine scil. & sanguine materno, procreatum.

45. Deinde, humidum alimentarium εὔλυτον est, facileque dissipatur: humidum verò primogenium, quia crassum & oleosum, δύσλυτον est, ac proinde durat diutiùs, etiam usque ad senium extremum: tametsi non tantum ejus relinquatur, quantum conservare calorem potest.

46. Tertiò, alimentarium humidum per omnem ætatem, etiamsi animal non ampliùs capiat incrementum, instaurari potest: primigenium, vel non potest, vel si potest, non æquè tamen bonum reparatur, ac fuit illud, quod discussum.

47. Ex eadem definitione *tertiò* non obscurè elucescit, neque solum spiritum totam complere substantiam innati calidi: neque per spiritum intelligi eum, qui ἐπίῤῥυτος, influens appellatur.

48. Etsi enim & *Galenus & quidam alij* spiritum aliquando innati calidi titulo dignentur: sciendum tamen hoc fieri, non quòd totam illius essentiam constituat: sed tantùm

tùm κατ' ἐξοχὴν: quoniam ejus est portio nobilissima. At notum, à potiori interdum fieri denominationes.

49. Spiritus autem, cujus in definitione calidi innati mentio facta, ἐπίῤῥυτος, qui triplex vulgò constituitur, naturalis, vitalis & animalis, non est: quoniam dictum, & humidum, & spirituosum illud, quod calidum innatum componit, singulis partibus in prima formatione ex semine & sanguine materno esse insertum. At spiritus recensiti innati nobis non sunt: sed naturalis ex puriore venosi sanguinis massa in hepate: vitalis ex sanguine arterioso in corde: animalis partim ex inspirato aëre, partim ex spiritu vitali, partim etiam ex subtili illo sanguine, qui in plexibus arteriolarum cerebri continetur, nobis jam genitis, inque lucem editis, generatur.

50. *Quartò*, ex proposita definitione obviam est cuivis, calidum nativum non ipsam esse animā; sed illius duntaxat instrumentum: & quidem commune ac universale, cujus ministerio utitur ad actiones obeundas quaslibet, animales, vitales, & naturales.

51. Non ipsam autem esse animam, etiam *Aristot. l.2. de part. animal. c.7. & l.2. de anim. c 4.* docet, quamvis de calore solùm loquatur. Arbitrari enim calorem animam esse, perinde est, inquit, ac si serram, aut malleū, fabrum, artemve fabrilem esse affirmaveris.

52. Verùm & ratio persuadet, calidum nostrum animam non esse: quia illud corpus est, & corporis proprietates habet, quod de anima dici nequit. Est quoque interitui obnoxium. At anima spiritus est æternus, & immortalis.

53. Temperamentum innati calidi quod attinet, est illud in activis εὔκρατον, benè temperatum: *authore Galeno comm. 1. aphor. 14.* Ratio duplex est. Una: quia temperamentum calidi præternaturalis, quale est febrile, igneum est,

 & con-

& consequenter intemperatum. Altera, quoniam ἄκρατον omne vitæ inimicum est. At calidum istud vitæ radix est & fundamentum: quia vita tandiu perseverat, quamdiu calidi innati copia suppetit.

54. In passivis autem humidum est, undè & calor ejus halituosus est blandus, suavis, & mitis. Febricitantium enim est acer, mordax, tactumque feriens: teste eodem ibidem. Verùm humidum est, non aquea humiditate. Hæc enim frigida est, tenuis, fluxilis, miniméque tenax atque permanens, & propterea ad fovendum, sustentandumque prorsùs inepta. Sed aëreum, pingue, & oleaginosum. Tale namque calidum est: ac ob id calori ὁμόφυλον. Est quoq; crassiusculum lentumque, ut durare aliquamdiu, neque tam facilè, ut aqueum, consumi queat.

55. Cujus autem QUALITATIS & CONDITIONIS sit calidum innatum, valdè controversum est. *Fernelius*, & qui illum sequuntur, *Valleriola*, *Andernacus*, *Crato*, & alii volunt, calorem ejus cœlestem esse atque divinum. Alii contrà, inter quos *Costæus*, *Schegkius*, *Mercenarius*, & *Erastus*, planè elementarem igneumque esse contendunt: non quidem urentem, qualis elemento ignis inest: (hîc enim non conservaret, sed omninò destrueret animal:) sed repressum, castigatum atque ad mediocritatem quandam redactum. Habetq; utraque sententia suas rationes, quas legere licet apud *Fernel. lib. 4. φυσιολ. c. de cal. inn. Valleriol. l. 1. loc. comm. c. 15. Schegkium l. de cal. innat. & Mercenar. in dilucidationib. obscur. Arist. locor.*

56. Arbitror ego, salvo rectiùs sentientium judicio, calorem istum & elementarem, & divinum cœlestemque nominari posse.

57. Elementarem duplici nomine. I. Ratione materiæ: quoniam ex sanguine materno & semine provenit, quæ

quæ elementaris esse naturæ, nemo, opinor, inficiabitur. Generantur enim ex sanguine vasorum: sanguis ex cibis: cibi ex plantis & animalibus, quæ corpora ortum ab elementis trahunt. II. Ratione sustentationis: quoniam, ut infrà dicemus, calor innatus ab influente cordis calore, qui elementaris statuitur ab eruditis, fovetur & aliquandiu conservatur. At conservatio fieri à simili dicitur. III. Ratione passionis: quia ut elementaria omnia variè mutatur, tandemque prorsus interit, sicut infrà ostendemus.

58. Cœlestem itidem duplici de causa: I. Ratione ἀναλογίας operationum. Ut enim cœlestis calor hæc inferiora corpora, quæ in sublunari mundi regione continentur, reddit prolifica, omniaque suo modo regit, fovet atque conservat: ita calor ille insitus fœcundat, cunctaque in corpore gubernat, & eas exercet actiones, quæ animæ, tanquam primario agenti ascribuntur. Hujus enim instrumentum est, & ab illa ad omnes exequendas vitæ actiones adhibentur: adeò ut haud immeritò divinus, propter divinas & stupendas ἐνεργείας, appelletur. II. Ratione dependentiæ. Nam quemadmodum alia omnia, quæ elementaris mundi plaga suo complexu coërcet, à vivifico illo cœlestium corporum calore illustrantur, juvantur, foventur, atq; reguntur: sic & calor noster innatus haud parum virtutis inde consequitur.

59. Nec obstat, quòd *Aristot. lib. 2. de gen anim. cap. 3.* scribit, inesse in semine omnium, quod fœcunda reddit semina, nempè calorem. Ignem autem non esse, sed spiritum, & ejusmodi naturam, quæ sit ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ, proportione respondeat elemento stellarum. Ignem enim nullum generare animal. Calorem verò Solis & animalium ἀρχὴν ζωτικὴν, principium habere vitale.

60. Nam *Philosophus* non vult, calorem innatum planè divinum & cœlestem esse, nullo pacto elementarem: sed

hæc eſt illius ſententia, quòd calor ſeminis in animali non ſit igneus & elementaris, neque *quò ad gradum*, *neque quò ad facultatem*, ſive *virtutem*.

61. Non quò ad gradum: quoniam ignis calor ſummus eſt atque intenſiſſimus: animalium remiſſus & temperatus.

62. Non quò ad virtutem: quia calor ignis urit atq; deſtruit, nullumq; animal producit. Calor verò animalium virtute vitali & generatrice pollet: non quidem per ſe, quatenus calor eſt: ſed quatenus inſtrumentum eſt agentis ſuperioris & primarii, ipſius nimirùm animæ, quæ miniſterio illius ad generandum utitur.

63. Propterea addit *Philoſophus*, calorem ſeminis ἀνάλογον tantùm eſſe cœleſti calori, non prorsùs cum illo eundem. Licet enim calor ſeminis elementaris ſit: tamen illius vis atque poteſtas non reſpondet virtuti caloris elementaris: quia hic deſtruit animal: ſeminis calor illud producit. Eſt ergò ἀνάλογος elemento ſtellarum, hoc eſt corpori cœleſti, quod *Philoſophus* quintum elementum propter ſimplicitatem ſubſtantiæ appellat. Quemadmodum enim vis caloris cœleſtis & præſertim Solaris, animalia gignere valet: ita & vis caloris, qui in ſemine latet, idem præſtare poteſt. Et ſicuti Sol mirabiles in ſublunari mundi regione effectus edit: ſic & calidum nativum calore ſuo & ſpiritu in corpore animalis.

64. Quod ſi obiiciatur, tamen *Ariſtotelem* ibidem ſubdere, calorem ſeminis οὔτε πῦρ εἶναι, οὔτε ἀπὸ πυρὸς ἔχειν τὴν ἀρχήν, neque ignem eſſe, neque ab igni ducere originem: Reſpondet *doctiſſimus Mercenarius*, non velle *Ariſtotelem*, calorem ſeminis non ratione eſſentiæ inde oriri, (elementaris enim eſt, uti probatum) ſed innuere ſolùm; quòd neque ratione graduum, neq; ratione virtutis agendi ignis ſit, aut ab igne proficiſcatur.

65. Ex

65. Ex his manifestum est, haud defendi posse *Fernelii, viri alioquin præclarissimi*, placitum, *quando l. 4.* φυλιολ. *c. 1.* negat, innato calori frigus esse contrarium.

66. Nam cùm elementaris sit naturæ, utique contrarium habebit, & quidem non aliud, quam frigiditatem ipsam.

67. Præterea, cùm à frigore & minuatur, & extinguatur prorsùs, ut infrà dicemus, aliquid sanè ab illo patitur, & frigus in illum agit. At actio & passio inter contraria fieri solet, ait *Aristot. 1. gen. & inter. t. 51.*

68. Denique calor innatus in frigida agit alimenta, cùm illa concoquere studet. At concoquere nequit, nisi illa alteret. Alteratio autem inter contraria versatur.

69. Verum his missis, ad MATERIAM EX QVA accedamus. Est autem illa gemina, semen & sanguis maternus, quæ duo generationis nostræ sunt principia. Illud quidem solidæ partium substantiæ: hic carnosæ. Ex illo stamina, sive fundamenta jaciuntur partium similarium: ex isto subtegmen nascitur: hoc est, caro cujusque partis propria, sive παρέγχυμα. Sanguine namq; inter inania filamentorum illorum spatiola affuso atque inspissato, caro constituitur, quæ cuiq; parti est peculiaris. Itaque solidam substantiam undique circumdat, & quasi obvallat, spatiaque inter fibras vacua, ceu rimas, explet.

70. Hanc materiam authoritas *Galeni*. & ratio confirmat.

71. Suprà namque dictum fuit ex *libro adversus Lycum cap. 7.* & *lib. 5. simpl. cap. 5.* innatum calidum sanguineam aëreamque, hoc est spermaticam esse substantiam: vel ipsum esse semen atque sanguinem. Quod quidem sano modo, scilicet in sensu causali, non autem formali, intelligendum est. Non enim calidum innatum per se & formaliter considera-

deratum ipsum semen, ipseque sanguis est: sed substantia ex utroque principio generata.

72. Ratio verò triplex est. I. Quia calidum istud dicitur ἔμφυτον καὶ σύμφυτον, innatum & connatum, itemque ἀρχέγονον, καὶ πρωτόγονον, primogenium, non aliam ob causam, quàm quòd nobis ex primordiis generationis sit implantatum.

73. II. Quia calidum innatum primordiorum istorum naturam sapit. Est enim humidum & spirituosum, & calore undique perfusum: cujus conditionis primordia nostra esse, tàm notum est, quàm quod notissimum.

74. III. Quia firmum est, constans, & stabile: & licet semper decrescat, aliquid tamen illius remanet usque ad extremam senectam. Id quod indicio est haud exiguo, innatum calidum ex principiis nativitatis nobis obtigisse. Nam quæ eradicari penitùs nequeunt, naturâ nobis inesse videntur.

75. IV. Quia idem viget in recens natis: languet in senibus: mediocriter se habet ætatibus mediis. Quid ita? quia infantes primordiis istis sunt proximi. Senes ab illis remotissimi. Mediocriter absunt ætates mediæ: quemadmodum infrà monstrabimus pleniùs.

76. MATERIA IN QUA, sive subjectum, cui πρώτως inhæret calidum nativum, sunt partes similares: ejusq; causa triplici constant substantia, qua & ipsum calidum est ornatum: solida, humida, sive carnosa, & spirituosa. Δευτέρως idem inest partibus dissimilaribus, quæ ex similaribus sunt coagmentatæ.

77. Radicatur autē in Corde, & in illo veluti Regiā suam habet atque Residentiam, quia ibi copiosius est atq; potentius: Unde *Gal. l. 9. meth. med. c. 10.* id πηγὴν τῆς ἐμφύτου θερμασίας fontem innati calidi: & *l. 6. v. s. part. c. 7.* οἷον ἑστίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ,

larem

larem & focum insiti caloris nominat. Ab illo enim & ἐπίῤῥυτος, influens calor unâ cum spiritu & sanguine vitali, cujus ratione corpus sanguineorum animalium actu calet, in omnia membra derivatur: ut ab eo, tanquam à Sole, incalescant, & à putredine præserventur.

78. Generale autem calidi istius subjectum est CORPUS VIVENS: non Animal solùm, sed etiam Planta.

79. Obscuriùs quidem inesse plantis deprehenditur: quoniam actu sunt frigidæ: ex forma tamen ejusque operationibus calidum istud iis concessum esse cognoscitur.

80 Forma quippe anima est: quæ cùm formarum sit nobilissima, meritò etiam nobilius, quam formæ ceteræ, instrumentum obtinuit.

81. Actiones sunt variæ & multiplices: omnes tamen Naturales à Stoicis, quos hac in parte Medicorum schola sequitur, nuncupatæ: Nutritio, Auctio, & Generatio & quæ duab. priorib. subserviũt, Attractio, Retentio, Cõcoctio, atq; Expulsio: Itẽ quæ Generationi famulantur, Alteratio, & Formatio: quarum nulla sine caloris ministerio præstari potest. Hoc enim vigente, actiones istæ exercentur laudabiliter: languente, debiliter obeuntur: extincto prorsùs, intercidunt, stirpesque moriuntur: quemadmodum per summam hyemis inclementiam fieri cernimus. At redeunte vivifico Solis calore, quæ per hyemem videbantur enectæ, aut saltem otiosæ, ad opera sibi consueta revertuntur. Germinant enim, florent & fructificant: externo nimirùm Solis calore internum & nativum adjuvante, illumque quasi sopitum exuscitante.

82. Clariùs & certiùs inesse animalibus deprehenditur. Hæc enim quamdiu vivunt, actu calent, longéque plures quàm plantæ, actiones exercent: quæ non tantùm πρὸς τὸ εἶναι simpliciter, sed etiam πρὸς τὸ εὖ εἶναι diriguntur.

83. Quò

83. Quò copiosius, quò temperatius, quóq; pinguius & oleosius hoc est calidum, eò vivaciora facit animalia: quò parcius aut aquosius existit, eò βραχυβιώτερα illa reddit.

84. Abundat illud maximè in pueris atque infantibus, sicuti dictum: quoniam principiis nativitatis, unde illi origo est, vicini sunt.

85. Parem autem quantitatem, quantam accepit ab ortu, ne exquisitissima quidem vivendi lege conservare potest: quoniam calor, qui partim illi insitus est, partim verò aliunde affluit, nunquam otiosus est, sed semper in id agit, & aliquid illius depascitur.

86. Itaque procedente ætate minuitur, tandemque, si Mors animali contingat naturalis, consumitur: eoq; consumpto, calor quoque, qui illi insidet, extinguitur, spiritusque, qui humidum primigenium pro basi habet, evanescit, & Mors subsequitur.

87. Materia circa quam calidum innatum occupatum est, pabulum ejus, sive fomentum esse videtur.

88. Cùm enim in perpetuo sit fluore, quia calor uterq;, ἔμφυτος καὶ ἐπίῤῥυτος, assiduè ipsum consumit, nisi re aliqua sustentaretur, tandem prorsùs interiret.

89. Fovetur autem à calore, sanguine & spiritu influente, quoniam ipsum etiam humidum, spirituosum, & calidum est. At simile simili conservatur.

90. Hæc verò tria, calor, sanguis, & spiritus, pro causis suæ generationis alimenta agnoscunt. Ex iis namque sanguis gignitur: ex sanguine spiritus.

91. Nec tamen inde infertur, quòd hac ratione calidum innatum perennare queat, & mors vitari. Licet enim semper aliquid in locum absorpti humidi radicalis per alimenta reponatur: tamen quod reponitur, non tàm bonum est, quàm fuit illud, quod à calore consumptum.

92. Im-

92. Impurius enim longéque deterius est eo, quod decessit; quodque primitùs ex semine comparatum fuit: propterea quòd non ita exquisitè atque exactè, ut semen, elaborari possit.

93. Causa duplex est: una materialis: quia seminis materia optimus sanguis est, tùm venosus, tùm arteriosus; qui jam suis in conceptaculis accuratè est elaboratus, perfectéque coctus: & in vasis generationi dicatis elaboratur magis, inque prolificum semen transit. Pabulum autem calidi innati sanguis est & spiritus, qui tot tamque laudabiles alterationes minimè perpessus. Altera efficiens, calor, qui temporis progressu in nobis fit hebetior. Multò enim usu, inquit, subtiliss. *Scalig. exercit. 23. f. 2.* debilitatur, & quasi deteritur. Ideóque non potest, quod ab eo jure exigitur, perficere pensum. Quo fit, ut prima ætate vegetior: tùm quotidiano agitatus opere fiat vietus, ac deinde flaccescat: postremò etiam aboleatur.

94. Quare, cùm se habeat ad calidum primævum, sicut se aqua habet ad vinum, quæ vinum reddit debilius, fit, ut calor idoneo destitutus pabulo, tandem evanescat, & mortis inclementia succedat.

95. Ad foventes conservantesque causas calidi innati etiam ventilatio pertinet: quæ in nobis aliisque præcalidis & valdè sanguineis animalibus pulsu & respiratione: in piscibus, qui pulmone carent, cordis pulsu, motuque branchiarum: in exanguibus & insectis sola transpiratione præstatur.

96. Ad Causam Efficientem reduximus illas causas, quæ calidum innatum vel mutant, vel prorsùs è medio tollunt.

97. Mutantes causæ variæ sunt & multiplices: nimirùm Calor ipse, Ætas, Anni tempus, Regio, alia, quæ vel extra vel intra corpus nostrum reperiuntur.

98. Calor uterque, insitus & influens, sicuti dictum, humidum mutat in quantitate. Id enim minuit: imò tandem prorsùs consumit: non secùs ac ignis in lampade oleũ: ignis in foco ligna.

99. Hinc vitæ & necis Author dicitur. Vitæ quidem per se: quia τῆς ψυχῆς τοῖς ἔργοις ὑπηρετικώτατον τῶν σωμάτων τὸ θερμόν ἐστι, inquit *Aristot l.2.part.an c.7.* ad exequenda animæ officia calor omnium maximè vim administrandi obtinet. Necis autem per accidens.

100. Dùm enim naturæ instinctu conservari desiderat, (πάντα γὰρ τοῦ ἀεὶ εἶναι ὀρέγεται, ait *idem l.2.de anim.c.4.* omnia æternitatem appetunt) fruiturq; humido radicali, tanquam convenienti pabulo, seipsum tandem conficit: sed per accidens: quoniam subjecto, cui inest, & sine quo consistere nequit, à se exhausto, ipse quoque perit.

101. Pòst calorem se Aetates hominis offerunt: pro quarum varietate calidum nativum haud parùm & in quantitate, & in qualitate variat.

102. Optimum est & copiosissimum in Pueritia & Adolescentia: maximè verò in Pueritia, sub qua etiam Infantiam complectimur. Hæ enim ætates principiis nostræ nativitatis sunt vicinissimæ omnium. Proinde & calidissimæ, & humidissimæ. Illa quippe principia multo & calore, & spiritu, & humore sunt imprægnata.

103. Deficit autem præcipuè in Senectute, quæ ætas hominis est ultima. Quo nomine frigida siccaque hæc ætas existit.

104. Frigidam esse *Galen.lib.2.de temperam.c.2* multis rationum momentis planum facit. Ait enim, senes I. ad tactum apparere frigidos. II. In frigidum statum facilè mutari. III. Nigros lividosque fieri. IV. Frigidis affectibus, utpote apoplexia, stupore, tremore, destillatione, raucedine,

prompte

promptè corripi. V. Laborare ὀλιγαιμίᾳ, paucitate ſanguinis: hancque ob cauſam perire in illis ruborem coloris: ipſamq; concoctionem, digeſtionem, ſanguificationem, appoſitionem, nutritionem, ciborum appetitum, ſenſum denique atque motum fieri deteriorem. Hûc accedit, quòd ſenium nil dicatur aliud, quàm via ad interitum & mortem. Itaque ſi mors eſt caloris nativi extinctio, utique ſenium veluti tabes quædam illius fuerit.

105. Siccam verò eſſe *Galenus* 1. *Ariſtotelis* authoritate confirmat, qui ſenectutem marcenti ſtirpi aſſimilat. Stirpes namque, novellæ dùm ſunt, humidæ, ſucculentæ, mollesq; exiſtunt: ſeneſcentes aſſiduè magis ſicceſcunt: tandem aridæ prorsùs evadunt: eſtque hic marcor, & ariditas iſta Mors earum.

106. Deinde verò ea ratione, quæ ſuprà poſita. Calor enim nunquam quieſcit: ſed ſemper in humidum agit. Ideóque ſolidarum partium humidum minuit: quo fit, ut ſicciores fiant: & tantò quidem magis, quò diutiùs humidum radicale actioni caloris fuit expoſitum.

107. Cæterùm, licet celebres quidam Medici ſenectutem ſiccam ſtatuerint, forſan quòd viderint, oculos ſenum ſuffundi lachrymis: nares deſtillatione manare: in ore ſalivæ exuperare copiam: tuſſire item ſenes & pituitam exſcreare: ventrem pituita plenum eſſe: ipſosque articulos conſpici mucoſos: *Galenus* tamen aſſerit, nihil horum obſtare, quò minùs ſenum corpus ſiccum cenſeatur. *l. 2. de temperament. c. 2.*

108. Partes enim ſolidæ, v. g. venæ, nervi, arteriæ, membranæ, & tunicæ omnium inſtrumentorum multò quàm priùs erant, ſicciores deprehenduntur. Circumfunditur autem illis foris & intus aut pituitoſus, aut mucoſus quidam humor,

109. Sed

109. Sed tantum abeſt, ſubdit idem, ut hujusmodi ſigna ſenilem ætatem humidam eſſe probent, ut etiam ſiccam propè teſtentur.

110. Nam ideò quævis particula quàm antea ſiccior evadit, quoniam per caloris imbecillitatem haud ſimiliter nutritur. Foris ſiquidem illi copia humidi excrementi ſuperfluitat: corpus autem cujusque intrinſecus ſiccum eſt, ut quod nec trahere intrò nutrimentum valeat, nec eo ſufficienter frui.

111. Eſt ergò, inquit idem, ſenex humidus, non propriis ſuis particulis, ſed excrementis. Rursùs ſiccus, non excrementis, ſed particulis ipſis. Ita nimirùm alia ratione ſiccus, alia humidus.

112. Verùm hic non de excrementis, ſed de propriis partibus quæritur. Siccus enim eſt ſenex iis partibus, quibus puer erat humidus: nimirùm partibus ſolidis, oſſibus, membranis, ligamentis, venis, nervis, arteriis, tunicis, carnibus &c.

113. Reliquæ ætates, quæ jam progreſſæ ſunt ulteriùs, quantum à Senio abſunt, tantum & ab extrema ſiccitate ſunt remotæ. *Galen. ibid.*

114. Qui minores ſunt, atque adhuc augeſcunt, tantum illi quoque à fœtus humiditate diſtant, quantum ætate proceſſerunt. *Ibid.*

115. Florida ætas, quæ aliàs juvenilis dicitur, in medio eſt extremorum: neque ſicuti Senectus ad ſummam perducta ſiccitatem: neque velut infantium ætas in humore multoque uvido merſa.

116. De calore tamen Puerorum & Juvenum gravis olim inter Medicos erat diſceptatio, quam dirimere *Galeno* minimè videtur proclive. Probabiles enim utrorumque ſunt rationes: tùm eorum, qui pueros ſtatuebant calidiores

res

res juvenibus: tùm illorum, qui putabant juvenes calore superare pueros.

117. Nos brevitatis ſtudio illas jam tegemus ſilentio. Legi poterunt apud *Galen.l.2.de temperament.c.2.*

118. *Galeni* ſententiam de mota controverſia pleriq; ſequuntur neoterici. Is neutrum admittit placitum: perſuaſum habens, calorem puerorum & ætate florentium, hoc eſt juvenum, eſſe æqualem, & quò ad quantitatem parem: differre ſolùm qualitate.

119. Puerorum namque calor halituoſus eſt, mitis, & ſuavis: juvenum ſiccus, ſubacris, adeóque tangenti haud perinde gratus atque acceptus.

120. Ait enim *Galenus*, puerorum ſubſtantiam humidam eſſe atque aëream: ideóque quod ex illa expirat, eſſe vaporoſum: juvenum contrà ſiccam & propterea, quod ex illa defluit, eſſe fumoſum, fuliginoſumque, acre, atque inſuave.

121. Juvenum calorem acriorem ſiccioremque eſſe concedimus: quantitate autem puerorum calori prorsùs æqualem, vix defendere poſſumus: quoniam ſuprà dictum, calidum in pueritia & infantia eſſe copioſiſſimum, quòd hæ ætates principiis generationis ſuæ, quæ calida ſunt, atque humida, ſint proxima.

122. Dirimi forſan controverſia poteſt, ſi dicatur, pueros calidiores eſſe quantitativè & extenſivè, quia plures caloris gradus habent: illorum autem calorem tactum minùs ferire, quoniam ab exuperantia humoris, qua puerorum corpus pollet, eſt mitigatus atque retuſus. Juvenes verò calidiores eſſe qualitativè & intenſivè, quoniam calor eorum eſt acrior: idque ob ſiccitatem temperamenti, quæ caloris lima à *Philoſophis* perhibetur.

123. Tertia mutationis calidi nativi cauſa ſunt 4. Anni tempora.

123. Hy-

124. Hyberno enim tempore calor innatus in nobis viget; æstivo verò plurimùm minuitur.

125. Ratio est in promptu. Nam hyeme circundantis nos aëris frigus corpora contingens calorem unâ cum sanguine & spiritu, quibus inest, intrò repellit in profundum, forisque cutis spiracula adstringens calorem cogit, atque ita coërcet, ut nihil ejus, aut parum effluere possit.

126. Æstivo contrà tempore, quoniam ambientis fervor corporum spiramenta laxat, & interiores tùm spiritus, tùm humores foràs elicit, necesse est plurimum caloris in aërem nobis circumfusum diffluere: exiguum verò intus contineri.

127. Vere calor similiter in nobis abundat, teste *Hippocrat. aphor. 15. s. 1.* præsertim in ejus principio, quod affine præcedenti hyemi: minùs in parte ejus media: minúsque adhuc in fine: quoniam hæ partes æstati sequenti sunt cognatæ.

128. Autumnus propter inæqualitatem suam multum negotii calori facessit. Nunc enim elicitur foras, ob calorem meridionalem: nunc intrò compellitur, ob vesperæ noctisque frigiditatem.

129. Porrò, quemadmodum anni tempora caloris quantitatem augent & minuunt: sic etiam ejusdem qualitatem mutant.

130. Etenim ferventissima æstas substantiam corporis nostri quasi torret, facitque, ut qui calor erat temperatus, naturæ suæ metas excedat.

131. Hyemis sævitia calorem in corporibus sanguineis, multoque spiritu & calore refertis, suo ferè in statu relinquit. Exanguium verò animalium calorem vel lædit plurimùm, vel prorsùs extinguit, ipsaque animalia interimit. Id quòd etiam in hominibus efficere solet, quibus natura est infirmior, & calor exiguus.

Quar-

132. Quarta mutationis iſtius cauſa eſt Regionum varietas.

133. Nam ſub Auſtro, zonaque torrida, inquit *Fernel. lib 4 φυσιολ. c. 9.* paucior hominibus ineſt calor, ſed acrior. Sub Aquilone calidum nativum abundat. In ultimis terræ Regionibus præ frigore vix ullum animal hyberno tempore vivit.

134. Præter haſce cauſas etiam aliæ ſunt, tùm externæ, tùm internæ, quæ calidum nativum & in quantitate, & in qualitate mutant.

135. Ex evidentibus atque externis ſunt cibi & potus inſigniter calefacientes & exiccantes: diuturnæ vigiliæ: inediæ: labores indefeſſi atque aſſidui: ſitis tolerantia nimia: mœror & luctus acerbus, iſque longus: curæ graves: iracundia, balnea ſicca, quæ vocantur ſtuphæ & laconica: thermæ potenter ſiccantes: medicamenta fortiter purgantia, aut aliàs ſtrenuè calefacientia & ſiccantia, præſidia alia enormiter vacuantia: veneris uſus immodicus, qui ad calidum innatum exhauriendum tantùm virium habet, ut paſſeres mares, quoniam ſalaciſſimi, brevioris ſint ævi, quam fœminæ, & muli vivaciores equabus & aſinis, à quibus generantur. A Venere enim abſtinent; parentes autem illorum eandem exercent.

136. Ex cauſis internis ſunt omnes morbi chronici: febres item ardentes, colliquativæ, & hecticæ, præſertim quæ dicuntur μαρασμώδεις. Per has enim homo inſiti illius humoris, ſpiritus & caloris magnam patitur jacturam, extremamque virium omnium infirmitatem. Nam pro corporis ſiccitate & conſumptione oculi fiunt cavi, tempora collapſa, palpebræ aridæ, ut vix attolli queant, & non ſecus ac dormientibus conniveant, frons dura, intenta, & ſicca, facies ſqualida & plumbea, cujus vividus color periit: venter quaſi

 inanis,

inanis, depressus atque contractus, reliquumque corpus adeò aridum, ut nihil præter ossa prominentia, membranis & cute obducta, restare, & corpus quasi vivum quoddam σκελετὸν esse videatur.

137. Modi, quibus calor noster, non solùm innatus, verùm etiam influens extinguitur, duo sunt: unus manifestus: alter abditus, nobisque planè incognitus.

138. Manifestus iterum quadruplex. I. Σβέσις, extinctio. II. Πνὶξ, suffocatio. III. Μάρανσις, marcor. IV. Μάνωσις, rarefactio.

139. Extinguitur autem à frigore, quod illi est contrarium. Suffocatur ab humorum excrementorumve, & fuliginum copia. Marcescit ob alimenti humidiq; inopiam. Rarefactione & amplificatione pororum, quæ fit à calore externo, evocatur atque dispergitur.

140. Hisce quatuor modis quidam addunt quintum, prohibitam ventilationem & refrigerationem, cujus causa frequentissima in nobis est obstructio, vel constipatio. Ventilatio enim calori usque adeò necessaria est, ut ea sublata, calor statim intereat. Id quod non solum *Hippocr. l. de nat. pueri*, sed etiam *Galenus lib. de util. respirat. & Aristotel. lib. de juventut. & senectut. c. 3.* memoriæ prodiderunt.

141. Si, inquit *Philosophus*, servari calor debet, si animal vivere, calorem refrigerari & ventilari oportet.

142. Verùm hic corruptionis modus aut ad suffocationem, aut ad marcorem reduci potest.

143. Nam prohibita ventilatione, calor suffocatur, non secus ac flamma à crasso multoque fumo. Cùm etiam ventilari non potest, plus justo crescit atque intenditur. Factus autem intensior, humidum, quod idoneum sibi est pabulum, absorbet: quo absorpto, etiam calor ipse perit: haud aliter atque ignis in foco, ob defectum lignorum, aut flamma in

ma in lampade, ob penuriam olei: teste *Aristot. loco jam allegato.*

144. Abditus atque occultus extinctionis modus est, quando calor à causa aliqua nobis planè incognita destruitur.

145. Hujus ordinis sunt quædam pharmacorum genera, quæ maligna & venenata: & cumprimis illa, quæ σηπτικὰ, putrefacientia appellantur. Hæc enim inquit *Fernelius lib. 6. meth. med. c. 18.* insito nobis calori adversissima sunt, ejusque vim atque substantiam prorsùs demoliuntur: idque dupliciter. I. Propter summam caloris acrimoniam, qua calorem nativũ dissipant, aut in igneum convertunt. II. Propter qualitatem malignam, qua humidum primogenitum dissolvunt, & omnem partis substantiam tabefaciunt atque colliquant, & cum putredine fœtorem inducunt. Qualitate enim prorsùs maligna atque venenata carnis, quam attingunt, substantiam corrumpunt, & in cadaverosam putredinem deducunt, quæ multò est deterior quàm ex gangræna. Talia esse scribit Auripigmentum, seu Arsenicum, Sandaracam, Chrysocollam, Dryopterin, Pythiocampen. Talem etiam esse perhibent *Aetius, Pausanias, Aelianus, Dioscorides, Nicander*, alii, illud serpentis genus, quod Seps & Sepedon, παρὰ τὸ σήπτειν, à putrefaciendo nomen accepit. Quos enim tangit, eos statim ob veneni sui malignitatem putrefacit.

146. Cæterùm citius interit calidum innatum, quo calor est remissior, quoque humidum in quantitate est parcius, & in qualitate aquosius. Diutius verò perseverat, quò calor est uberior, humidum in quantitate copiosius, & in qualitate pingue, oleosum, & aëreum magis.

147. Hinc videre licet, cuncta animalia μακροβιώτερα, vivacioraque esse, quæ calore, spiritu, & humido radicali,

eóque pingui abundant. Βραχυβιώτερα, quibus calor est exiguus, spiritus pauci, humidum vel modicum, vel certè tenue atque aquosum.

148. Calor namque exiguus facilè extinguitur: spiritus pauci brevi dissipantur. Humidum aquosum promptè consumitur. Contrà humiditas copiosa calorem diu conservat, præsertim illa, quæ pinguis, oleaginea & aërea. Non enim ut aquea calori est inimica: nec ut illa facilè concrescit: nec tamen adeò sicca est, ut facilè exarescat.

149. Superest ultimum disputationis caput quod est de FINE, USU, & NECESSITATE calidi nativi.

150. Est autem USUS calidi istius longè maximus penéque inexplicabilis. Est enim commune Animæ instrumentum, quo actiones suas perficit. Ex calore quippe, spiritu & humore constat. At nihil in vivente corpore sine calore agere Anima valet. Hoc enim vigente vigent actiones: languente languent: intereunte intereunt & abolentur.

151. Par ratio spiritus est, sine quo anima est otiosa. Unde & vehiculum facultatum ejus, nominatur.

152. Sine humore autem neque animalibus, neque plantis esse licet. Fundamentum enim caloris est atque spiritus: & quemadmodum calore & spiritu vivimus, ita humore nutrimur.

153. Est quoque humor iste caloris pabulum, quo ille sustentatur. Ideóque pabulo deficiente, calor quoq; evanescit.

154. Sed & omnia calidum in corpore conservat: omniaque à putredine præservat. Ideóque eo extincto homo friget, moritur, putrescit.

155. Pro-

155. Pro ratione quantitatis & qualitatis ejus brevius diutiusque vivimus, uti suprà indicatum.

156. Per hoc Natura morbos, morbificasque causas in ægrotantibus profligat: & in morbis, qui κρίσει solvuntur, primùm peccantem materiam coquit: deinde inutilem ab utili secernit: tùm inutilem excernit: & quidem vel prorsùs extra corpus: quæ κρίσεως species ἔκκρισις appellatur: vel saltem ex priori foco extrudit, & ad locum alium transfert: qui κρίσεως modus ἀπόςημα, ἢ ἀπόσκημμα, abscessus nuncupari solet.

157. Reliquos morbos paulatim finit: & quidem vel digestione & dissipatione causarum: vel sensibili earundem vacuatione: vel transmutatione in speciem aliam. Tot enim modis morbi apud *Hippocratem* terminantur.

158. Hinc Natura, quæ ministerio calidi nativi utitur, medicatrix morborum ab eodem *lib. 6. Epidem. s. 5.* nominatur: quoniam primaria est curationis causa: licet & Medicina, & Medicus, & medicamenta, & qui Medico famulantur artifices, ut pharmacopœi, chirurgi, coqui, balneatores & sacrificatores, suo quoque modo morbis mederi dicantur: quemadmodum *Galen. in Commentar. citati loci* fusè & eleganter explicat.



COROL-

COROLLARIA.

I.

Lienem curſoribus tutò eximi poſſe fabuloſum eſt.

II.

Malè ſentiunt, qui perſuaſum habent, leviora remedia prius ſemper uſurpanda eſſe, iisque nihil proficientibus ad fortiora demum accedendum.

III.

Magnitudo morbi nequaquam eſt genuinum venæ ſectionis indicans.

IV.

Neque ſola plethora tale eſt illius indicans.

V.

Morbos, quos Fernelius vocat Materiei, pro novis morbis non agnoſcimus.

VI.

Agnoſcimus autem morbos illos occultos, quos ille totius ſubſtantiæ appellat, peſtilentes, contagioſos, & venenatos.

Eſus

VII.

Esus cochlearum sine ratione probabili phthisicis commendatur.

VIII.

Urgente necessitate gravidis & purgantia præscribi, & sanguis detrahi potest utiliter.

IX.

Purgatio tamen Venæ sectione in iisdem periculosior videtur.

FINIS.

